

AD GEMMAS ANTIQUAS. 61

caput solis ab latere sculptum, cum virga & face. Unde opinio mea est, globos characterum, qui circumdant septem figuræ hujus stellas, depravate scriptos esse & pari cum transpositione, sicut in tribus superioribus scribitur ac repetitur ΤΕΛΙΚΟΝ, quod potest esse pro ΤΕΛΙΚΟΝ, hoc est, bonum illud, quod pertinet ad ultimum finem, potestque intelligi sub eo, quod ab stellis petantur influxus felicitatis. Altera vox ΦΙΔΕΑΚΙ videtur pro ΦΙΛΕΛΛΙ, quasi haberet vim attrahendi amoris & amicitia. Sed hæc dicta sunt non plane per veram, sed alludentem interpretationem, proprio sensu relicto doctis & linguarum peritis.

35. L E O M I T H R I A C U S.

36. A B R A X A S.

Ab Basilide Alexandrino Ægyptio provenerunt monstrosæ imagines idoli ipsius Abraxas, quod sub prodigiosis formis sectatores ejus dederunt, intelligi volentes falsissime, illud esse potentissimum ad averruncanda omnia mala fortunatumque ac felicem faciendum hominem, unde id multimodis sculptum reperitur in palis annulorum sub hieroglyphicis & figuris Osiridis ac Mithræ, ex superstitionibus antiquis Ægyptiorum & Persarum, non aliud denotans quam solem; & unaquæque ex literis vocabuli completitur numerum annui cursus solis, ut observat Hieronymus. Sed ad exponendam hanc imaginem dicimus, Ægyptios, ut refert Plutarchus, finxisse Osiri-